DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE LACTE Ejusque VITIIS.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,

Philoſ. & Medic. Doct. Hujusque in Academia Lugd.-Batavâ Profeſſoris celeberrimi.

NECNON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decretô,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

JOHANNES MELCHIOR GÖBEL, Güſtr. Megap.

Ad diem 24. Februarii locô horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typograph. MDCLXXXIV.

99

1185.g.16

29

DEO
FAUTORIBUS
ET
AMICIS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS.
DE
LACTE & Ejus VITIIS.

THESIS. I.

MEditantem Affectus Mulierum, eorum non immerito poſſet deterrere difficultas, multiſque dubiis involuta, ac nondum penitus enodata obſcuritas, niſi ſimul quotidiana horum frequentia rurſus alliceret illum, imò ſumma inde enata urgeret neceſſitas, horrendam enim in nonnullis affectibus Muliebribus Symptomatum ac morborum ſyndromen accuratius perpendentem, commiſeratio ad inveſtigationem Cauſæ & Curationis invitabit. Sunt, novi, non pauci, quos â conſideratione Affectuum Muliebrium abſterret, vel horum implicata difficultas, vel inepta aliorum opinio, ac ſi de occultis his naturæ, publice nihil ſit dicendum: Licet verò neutrum de his firmo ſtet talo, ſi quidem ratione prioris tentandum, quid poſſit ingenium, ac poſterius ne reſponſione quidem indigeat, dum de Naturalibus naturaliter loqui, eoque proximi anhelare commodum planè vituperio vacet, tamen cum poſterioribus litem non ſuſcipiam, ſed hac vice ſolum difficilem de LACTE & ejus VITIIS materiam in publicum ſiſto, quam tractationem nunquam in me ſuſcepiſſem, cum optimè ſciam, me longè eſſe imparem ferendo huic labori, tot, tantiſque controverſiis agitato, niſi iiſdem rationibus motus, ingenii plus exercitio, quàm jactantiæ indulſiſſem.

II.

Jacta igitur alea rem ipſam aggredior, producendo *primo* Variorum, tam Veterum, quam Recentiorum ſententias de *Materia Lactis*, unâ cum eorum rationibus *Avicenna, Galen. Ariſtot.*

 & cum

& cum his *Antiquitas Univerſa*, quibus ſe adſcribit et [illegible] *van der* [illegible] *in Diſp. de Lact. §. 1. Sanguinem Menſtruum eſſe Materiam Lactis* putarunt, in hanc Sententiam forſan inducti, quoniam viderunt Lactantibus ut plurimum deficere *Menſes*, & quibus per ætatem amplius *menſes* non fluunt, apud eas neque *Lac* generari, aut quia male *Hipp. §. 39. S. 5.* intellexerunt, ubi dicit: *Si Mulier, quæ neque gravida eſt, neque peperit, Lac habet, ei Menſtrua defecere.*

III.

Sed hæc opinio quàm levi fundamento innitatur, ex ſequ. patebit. Quod non omnibus Lactantibus ſemper deficiant *Menſes*, de quo vid. *Schenck. Obſ.* 147. & 249. *l.* 4. *Roder. à Caſtro l* 4. *de N. M. c.* 10. Quod verò plerumque *Lactantibus menſes* deſint, non fit, quod *menſes* ſint *Materia Lactis*, ſed quod ea *materia*, quæ communis eſt *Lacti & Sanguini*, in magna copia ad *Mammas* derivetur, in minori verò copia ad *Cor*, & conſequenter non tanta Sanguinis abundantia generetur pro *Sanguine Menſtruo*. Eadem ratio eſt de Vetulis, quibus eadem *materia communis Lactis & Sanguinis* deeſt; Licet quandoque Vetulæ reperiantur, quibus diu *Menſtrua* defecere, *Lac* tamen ſatis copioſum præbentes, qualia exempla habent *Henr. ab Heer Obſ.* 14. *Hiſt. ult. it. Bodin. de Vetula Avia. Theat. Nat. l.* 3. *p.* 429. *Ariſt.* 3. *Hiſt. An. c* 20. *Hippocratis* dictum quod attinet, ibi *Menſtrua* retenta in quibusdam partes ipſas ad *Lactis generationem* diſponunt, nam ſi hæc eſſent *cauſa & materia*, omnibus, quibus *Menſes* ſuppreſſi, *Lac* illicò gigneretur, quod tamen falſum; Et ſi *Sanguis* hic eſſet *Materia*, ſingulis duntaxat menſibus *Lac* fluere oporteret. Quid, quod etiam fluentibus lochiis in ſatis magna quantitate, & ad plures libras, *Lac* tamen nullam intermiſſionem afferat. Nulla enim proportio eſt inter pauxillum illud *Sanguinis* & copiam *Lactis*, & plurima bruta nulla patiuntur *Menſtrua*, ne quid dicam de Viris, imprimis in novo Orbe, de quibus *Scriptores* tradunt, plurimos *Lacte* refertos eſſe, Vetulis, Infantibus, Capris, *Lac* habentibus de quibus vid. *Ar.* 1. *Hiſt. An. c.* 12. *it.* 3. *Hiſt. An. c.* 20. & 21. *Veſal. l.* 5. *de Corp. Hum. Fabr. c.* 18. *Alex. Benedi. l.* 3. *Anat. c.* 4. *Card. de Subtil. l.* 3 *c.* 13. *Bett. de Ort. & Nat. Sanguin. c.* 1. *ſect.* 1. *§.* 6. Similia exempla habent *à Vega. Gemma. Donat. Hildan. Baricell. Eugubin. Matthiol. Weinrich. de Ort. Monſtr. Schenck.* & alii.

IV. Alii,

I V.

Alii, cum viderent imbecillitatem hujus ſententiæ, *Sanguinem Rubrum* ſtatuerunt *Lactis Materiam*, quorum primas tenet D. *Sylvius*, qui *lib. 3. Prax. c.* 10. §. 27. dicit. *Pro Lactis Materia, nec ratione urgente, nec experientia manifeſta Chylum admittendum cenſemus, cum pleriſque Sanguinem etiam nunc habemus.* Horum argumentorum Vis potiſſimum in hoc conſiſtit, quod *Sanguis* ſæpe numero *Lactis* loco effluat, imprimis à diuturniori & avidiori ſuctione, & putant *Sanguinem* non promanaturum niſi is eſſet *Materia Lactis*, & quod ex adhibito medicamento *Sanguinem* ſiſtente, abſque ullo alimento aſſumpto ſiſtatur alterior *Sanguinis effluxus* & ſequatur *Lac* ejus loco. Præterea Arterias & Venas *Lactationis tempore* augeri, neque tamen tantam *Sanguinis copiam* eſſe neceſſariam pro Mammarum Nutritione.

V.

Primò reſpondebimus ad objectiones, deinde adducemus rationes alias, cur *Sanguis* non poſſit eſſe *Materia Lactis*. Et *Sanguis* è *Lactantium* papillis interdum prodiens, minimè probat *Lactis materiam* eſſe *Sanguinem*, ſed Sanguis iſte prolabitur ex vaſculis Sanguiferis Papillæ vehementi ſuctione aut aliter vulneratis, & quaſi dilaceratis, quæ vaſa, quando iterum conſolidata ſunt, *Lac* iterum profluit. Vid. *Prax. Chirurg. Ration. Joh. Muys. decad.* 4. *Obſ.* 7. Arteriarum & Venarum auctionem videbimus in ſeq. ubi de *Vaſis Mammarum*.

V I.

Sed impoſſibilem eſſe *Lactis generationem è Sanguine* conſtat ex eo, quod *Lac* quotidie ad lib. 2. plus minus emitti poſſit ſine virium jactura; *Sanguinis* v. libræ duæ ſine inſigni virium jactura, imò animi deliquio, ne ſemel in ſeptimana quidem emitti poteſt, & Puerpera illa Breſlavienſis, cujus mentionem facit *Weinrichius de Monſtr* brevi peritura fuiſſet, ſi *Lactis materia eſſet Sanguis*. quæ quotidie ad x i i. lib. lactis fudit, cum tamen Mulieres, quæ ab hæmorrhoidum continuo vexantur fluxu, qui centies certè minor eſt, in cachexiam & mortem videamus propediem incurrere, & omnes lactantes mulieres inciderent in Hydropem & cachexiam, cum tamen pleræque meliorem corporis habitum induunt; & unde habent Vaccæ Epiroticæ, quarum meminit *Ar. l.* 3. *H. A. c.* 16. tantam copiam Sanguinis, ut ſingulis diebus 80 lib. Lactis effundant. It.

Vaccæ Batavicæ, cum tota earum Maſſa Sanguinis [illegible] deret. Et nonne Mulier confeſtim incideret in morbos [illegible] mos, ſi quando ablactaret infantem, cum magna iſta quantitas retineretur in Sanguine, quod tamen non accidit, & licet objici poſſet, *poſt finitam Lactationem iterum menſes prodire*, nulla tamen proportio hîc reperitur; Et ſemoto infante, cum Sanguis extravaſatus non eductus putredinem contrahat, mammæ abſceſſibus & inflammationibus infeſtarentur, fieretque Pus, & hoc non ſolum fieret in ablactatione, ſed etiam in quotidiana Lactis in Mammis generatione, dum ibidem Sanguis moram trahit ad Lactis formam induendam. Imò *Hipp. S. 5. aph. 4. Sanguis, inquit, ad mammas collectus furorem inducit.* Neque natura per eandem ſemitam & progredi & regredi aſſuevit, ſi ex chylo *Sanguinem* & ex illo *Lac* denuo conficeret, retrogrado ac præpoſtero ordine oberraret, quippe *Chylus Lac quoddam eſt*; Fruſtra m. priore labore poſteriorem magis arduum intenderet, namque ſi primum *Lac ſ. Chylus in Sanguinem* non abiret, minime foret opus altera opera, novaque iterum Sanguinis in ipſa reductione. Ad hanc multiplicem operam & reductionem, quanta mora requireretur? Et quomodo fructus maturus poteſt revireſcere, ut poſtea iterum matureſcat, *Lac* enim cum *Sanguine* collatum, multo crudius, quam *Sanguis*; & hæc cruditas eſt cauſa cur tam facile aceſcat. Cur verò macilentæ non tanta copia *Lactis* gaudent, quam obœſæ, cum tamen habeant majora vaſa & Sanguinem copioſiorem, quam illæ. Plura de his vid. ap *Diemerbr. in Anatom. & Deuſing. Diſſ. de Lacte.*

VII.

Tertia Autorum Sententia, *quod Chylus per arterias ad Mammas fluat*, nunc examinanda, inter quos *Conring. Diſp. de Lacte. Corn. Conſent. progym. 6. p. 219. Lower. de Corde Cap. 5. p. 228.* & alii. *Warthon*, quanquam hic addit *Succum Nervoſum* vid. *Adenogr c. 36. p. 240. 241.* Eandem ſententiam fovet *Needham p. 13.* Sed quia in nervis nulla ferè cavitas reperitur, & adhuc dubium eſt, *an ſpiritus An. materialiter ad mammarum ſuccum conſtituendum concurriant*, cum Lactis profuſio parum, aut nihil genus nervoſum debilitet, quod tamen aliter haud fieri poſſet, ſi tantum Spirituum An. diſpendium ad Lactis Maſſam conſtituendam requireretur. Sed ad priorem ſententiam potiſſimum inducti *Autores*, quod nulla alia vaſa præter Arterias, Venas, Nervos & Vaſa Lymphatica viderent,

[illegible] ad mammas deportare poſſent, & quod præcipuè iſta Vaſa Sanguifera Lactationis tempore magis, & inſigniter tumerent, Vaſorum verò Lymphaticorum ſeu Roriferorum ligatura evinceret, quod potius à mammis revehant, quam advehant.

VIII.

Sed antequam nos conferamus ad hæc argumenta, prius conſiderabimus *Fontes corporis ſanctiſſimos & humani generis educatores blandiſſimos ut A. Gell. l. 12. N. A. c. 1. eos* nominat, *Mammas* nempe, hæ conſtant è copioſis glandulis magnitudine diverſis, variis tubulis & ductibus inter ſe coëuntibus, multaque affuſa pinguedine junctis & compactis, quæ ſimul membrana carnoſa ſuccinguntur & ſubjectis muſculis annectuntur. In medio harum glandularum, una Magna ſita eſt, quam reliquæ glandulæ circumſtant; etiam Vaſorum Lacteorum plexus infiniti glandulis interjiciuntur, quibus mediantibus non ſolum *Succus Lacteus* ad omnes defertur, verum etiam minores ſuum *Lac* in Magnam glandulam effundunt. Præterea in ipſis glandulis pori ſunt ampli & copioſi, in quibus, tanquam in cellulis, *Lac* ad ſuctionis tempus aſſervatur, niſi fortè ob nimiam copiam, aut tenuitatem ex iis ſponte effluat.

IX.

Glandulæ iſtæ Magnæ ſuperſtat corpuſculum teres & Fungoſum, quod *Papilla* dicitur reſpondet penis glandi, unde flacceſcere, erigique poteſt ex ſuctione & contactu; ex levi grataque contrectatione voluptas percipitur, ex dura verò dolor, nam exquiſitum habet ſenſum: In hanc Papillam *Lactei ductus* terminantur qui ſetam vix admittunt, licet *Marchette* aliquando adeò eos dilatatos viderit, ut bene ſtylum intromittere potuerit.

X.

Vaſa ut in omnibus ferè aliis partibus ſunt quadruplicia, hic ſunt quintuplicia. Arterias Mammarum Autores vulgò duas numerant: unam Exteriorem, à Ramo Axillari, quam *Bartholinus Thoracicam Superiorem* nominat, pro partis externæ ſeu cutaneæ nutritione: Alteram Internam ab Arteriæ Magnæ ramo Subclavio, quæ *Mammaria* dicitur, quam in ſeq. paulo accuratius conſiderabimus. Cum Venis eadem ferè ratio eſt, niſi quod longè majores & plures ſint, quarum exterior ſe exonerat in Axillarem;

[illegible]ram; Altera v. in Subclaviam, de cujus curſu [illegible] ejus Arteria; plerique putant per hæc vaſa Interna Mammaria [illegible]-cta communicationem fieri cum Epigaſtricis, quod tamen auto-pſiæ repugnat, licet fines horum vaſorum interdum propius ad ſe invicem accedant, nunquam tamen uniuntur. Et idcirco Conſen-ſus uteri per hæc vaſa mere fictitius eſt. vid. *Diemerb. l. c. p. m.* 339. Nervos habent Mammæ ab *Intercoſtalibus ſuperioribus*, hi nervi in copia ad Papillam tendentes, tam acutum ei ſenſum tribuunt. Nervos hos Lactationis tempore magis turgere putant quidam, & idcirco per eos *laticem* ad Lactis materiam adduci credunt, ut *ſupra* §. 7. dictum. Sed quis poteſt hanc rem dirimere, quis eandem ſecuit Lactantem & non Lactantem? Et annon in quibuſdam hominibus vaſa ſunt majora, quam in aliis, & poſito, quod turgeant aliquantulum, cum enim liberior datur exitus, non mirum etiam plus Spirituum & Lactis affluere, adeoque nervos non nihil turgidulos fieri, quanquam illud exiguum tantum ſit. *Vaſa Lymphatica* quod concernit, illa aquoſum & ſuperfluum à Nutritione partium liquorem revehunt. licet *Bilſius* huic ſententiæ contrarietur, & potius in circumferentia mammarum deteguntur, quam intra eas.

XI.

Reſtant adhuc Vaſa ab Arteriis, Venis, Vaſiſque Lymphaticis plane diverſa, diligentia *Recentiorum* detecta, TUBULI LACTEI dicti, qui glandulis mammarum interjecti plurimi cernuntur, ab inferiore parte toto ambitu enati in mammarum centro coëuntes, *in quibus* LAC *confectum ad uſum ſervatur*, quo ceſſante, in minimorum vaſorum exilitatem arctantur, ut viſum forè fugiant, unde evenit, quod à pauciſſimis ſint obſervati. Quorum tamen fundamentum abſente etiam lacte, obliteratoque glanduloſo ubere per omnes ætatis gradus ſuperſtes manere teſtis eſt *Veſlingius Synt. An. c.* 9. Eoſdem tubulos obſervarunt *Bartholin. Anat. Ref. p.* 332. ut & in ſuo Tract. *de Lact. Thorac. Wharton Adenogr. c.* 36. *p.* 238. *Deuſ. Diſſ. de Lacte p.* 282. *Diemerbr. An. l.* 2. *c.* 2. *p. m.* 339. &c. Et tantum *de Subſtantia Mammarum*.

XII.

Sed nunc videbimus annon dentur aliæ VIÆ, ut Arteriæ, Venæ, Nervi, & Vaſa Lymphatica per quas *Chylus ad Mammas*, ſeu *ad Tubulos Lactiferos poſſit deferri.* *Hippocrates de Nat. Puer.* [illegible] *p. m.* 147.

[illegible] *Lind.* dicit: *Pinguiſſimum de cibis ac potibus foras proſilit in omentum & carnem, & inde in Mammas. Idem ib. text.* 22. *p.* 148. *dum Mammæ Lactant & exſuguntur, venulæ in mammis ampliores fiunt; ampliores autem factæ, à Ventre pinguedinem trahentes in mammas diſtribuunt. Proſp. Mart. An. lib. de Carn. Cæcos Ductus. Caſtell. l.* 2. *Em. c.* 59. *Poroſitates corporis raras* à Ventr. ſurſum aſcendentes ſtatuunt. Idem etiam *Entius contra Pariſan. digreſſ.* 5. *& Petr. Guiffart.* libello *de Proxim. Lact. Mát. Veſling. Cit. loc. Chylum* ad Mammas deferri, partim ex *Ventr.* partim ex *Pancreate* (*Aſellii*) autor eſt. Et *Everhard. de Homin. Brutique Exortu p.* 282. putat *Veſalium* non fuiſſe deceptum, ſe enim in Cuniculo fœmina ſimul prægnante & Lactante obſervaſſe, *Vaſa Chylifera* ſeu *Lactea*, excurrentia ſupra Muſculos abdominis ſubter pinguedinem, ſeque in mammarum ſubſtantiam inſinuantia, quæ poſtmodum conjunctim aliquos *Tubulos Lacteos*, ac tandem canalem communem conſtituerent, ſicque Lac per Papillam exhauriendum præberent. Hæc Vaſa obſervarunt etiam *Pecquet. Monſpel.* cujus *Diſſ. de Lact. Thor. exper.* 4. vid. It. *Theod. Schenck. Hofmannus* referente *Barth. An. Ref. p.* 331. Eandem fovet ſententiam *Deuſing. Diſſ. de Lacte p.* 383. ſeq. his verbis; *Mammarum tubulis ſeu Venis γαλακτοφόροις continuatos cenſemus peculiares à Ventr. & Pancreate imprimis ductus, Venas nempe Lacteas.*

XIII.

Rem ita ſe habere poſſe in brutis concedimus, ſed in Homine hoc iter eſſet nimis longum, & Vaſa hæc perforare Diaphragma, Pleuram, Muſculos tum Intercoſtales, tum Serratos & Pectorales deberent: Videamus igitur reliquorum ſententiam. *Fort. Plempius in fund. Med. l.* 2. *p.* 64. dicit: *Noſtra hac tempeſtate Hippocrat. illa doctrina vera comperitur ob inventum nuper novum Ductum Chyliferum, in Pectus ſcandentem, uſque ad venas Subclavias, à qua regione Ramuli Chyliferi proferuntur ad Mammas.* Et *Barthol. de Lact. Thorac. c.* 18. ubi de his *Viis* agit, ſcribit; *Nihil promptius, quam per Lacteas* Thora*cicas novas, rem hanc controverſam componere; Vicina illa ſunt mammariis & Thoracicis vaſis, ramuloſque paſſim diffundunt, in fœmina prægnante vel Lactante poſt paſtum diſſecta facile erit experimentum.* Sed talia ſubjecta ſunt rariſſima. Has vias etiam demonſtrare contendit *Florentin. Lib. de Genuin. Pueror. Lacte.* Et *Charlet. Exerc. de Galax. p.* 52. de his viis: *Admodum probabile*, inquit, *videtur Ductus Chy-*

[ni]ſteros ſuppoſitos, non longe ab extremitatibus Lactearum Thoracicarum, qua parte illa ingrediuntur Venas Subclavias, Ortum ducentes; uno utrinque mamma centrum diſſeminato, in medias uſque mammas derivari: indeque variis ad lac in papillis deducendum ramulis prius diſperſis. Idemque putat, ex hoc ductu deorſum etiam ad uterum ramos deſcendere, *pro Nutritione Fœtus*, & hos obſervaſſe D. *van Horn in Epiſt. ad Barthol.* Eaſdem vias ſtatuit quoque *Diemerb. An. l. 2. c. 2. p. m.* 339. Licet conſpicui non ſint, ſed deliteſcant, quia Chyloſus ſuccus in iis non ſubſiſtit, nec magis detinetur, quam urina in Ureteribus, ſed compreſſione Muſculorum Reſpiratoriorum, & partium, per quas tranſeunt, citiſſime propellitur, per eoſque tranſit: eodemque modo ſicut Lactea Menſenterii vaſcula, Chylo in receptaculum effuſo citiſſime evaneſcunt. Et cit. *Diemerbr. p. m.* 341. adducit duas Obſervationes, ubi à fortiori ſuctione dolorem moleſtum *Lactantes* percepere, non ſolum in dorſo circa ſcapulas, ſed dolor etiam ad lumbos uſque ſe extendit.

XIV.

Secundum argumentum §. VII. nobis objectum eſt, *quod Vaſa ſanguifera Lactationis tempore magis intumeſcant.* Hic primo interrogandum, per quænam Vaſa *Materiam Lactis* adduci putent? Per *Venas* non poteſt, nam id eſſet contra Circulationis leges; ergo per *arterias.* Per Externam à ramo Axillari non poteſt, quia hæc in partem externam ſeu Cutaneam Mammæ tantum diſpergitur ut ipſi dicunt; igitur per *Internam* fieri debet, quæ *Arteria Mammaria* dicitur, de qua *Ioh. Valverda in An. l. 6. c. 11. p.* 280. *Arteria Subclavia ſub Oſſe Sterni declivis fertur, & juxta Mucronatam Pectoris Cartilaginem proſilit, inque Rectum abdominis Muſculum exhauritur.* *Laurentius* verò *An. l. c. 10. p.* 105. *Arteria Mammaria per interiorem Sterni partem fertur, ramulos mammis exiguos ſpargens.* Et *Idem l. 6. Quæſt.* 7. ubi ſatis eleganter dicit: *Vena Mammaria propagatur à ramo Aſcendentis Cava, quem Subclavium vocant, & per internam ſterni partem, & triangularem muſculum fertur; Mammas ne minimum quidem attingens, niſi fortaſſis Capillari & fere inſenſili ramo: propterea neſcio qua ratione Mammariam vocitent, cùm Mammæ venas habeant ampliſſimas, quæ à Thoracicis derivantur.* In ſeq. negat conſenſum per hæc vaſa, & hæc ſolius nutritionis gratiâ facta putat, quod in Viris etiam reperiantur. Et quod ſupra dicta Arteria exiles tantum Ramos ad Mammas pro Nutritione tranſmittat, arteria verò ipſa

ad

ad muſculum rectum abdominis progrediatur accuratiſſimus & Celeberrimus Anatomicus *Dn. Drelincourt* ſæpe demonſtravit.

XV.

Sed videamus etiam *an & quomodo Arteriæ Lactationis tempore intumeſcant*, licet nemo id aſſeverare poſſit, nam quis eandem Arteriam vidit ante tempus Lactationis, & tempore Lactationis? Et poſito, quod aliquantiſper intumeſcerent, nonne hoc fieri poſſet, quod Mammæ propter Magnitudinem auctam & expanſionem plus nutrimenti requirant; & *Cl. Diemerb. l. c. p.* 342. hoc fieri putat, *quod Glandulæ lacte tumentes non nihil comprimant arteriarum fines*, ita ut Sanguis in eas influens non tam libere & cito, ut extra Lactationem ſolet, ex iis effluere & circulari poſſit, unde tunc paulo majore copia detentus, eas plus ſolito tumidiuſculas apparere facit. Plura vide quæ ſupra de *Nervorum Intumeſcentia* diximus. Si verò affluxus ille per Arterias contingeret, utique neceſſe eſſet, cum Mammæ Lacte diſtenduntur, ut illico pulſationes, ob intumeſcentiam arteriarum & majorem Sanguinis affluxum, fierent majores & validiores, quod tamen ipſamet experientia refellit. Et præterea obſervatur, quod alimenta poſt quadrantem horæ, plus minus, ab aſſumptione *Materiam Lactis* præbeant, quo tempore, an *Chylus* per *vaſa Lactea* ad receptaculum lumbare, ex hoc per ductum Thoracicum ad Cordis Ventr. dextrum, ex hoc per Pulmones ad Siniſtrum, ex hoc iterum per Ramum Subclavium ad Glandulas & tubulos mammarum papillamque tranſire poſſit, ferè impoſſibile videtur, cum tamen ab hauſtu largo Nutrix confeſtim ſentiat aliquid cum ſenſu quaſi frigoris, & tenſionis in mammas deſcendere, & hic referenda Uxor illius Aromatarii *Pompilia*, cujus meminit *Proſp. Mart. lib. de Nat. Puer*, cujus intra horæ ſpatium, Caprilli Lactis, quas hauſerat ſex libras, lactantes Mammæ reddiderunt.

XVI.

Unde etiam eſſet, quod *Lac Qualitates Alimentorum tam manifeſtas retineat*, e. g. Purgantium, &c. cum tamen per fermentationem, quæ fit in corde iſtas amitteret, & ut unum hoc loco inſtar omnium Experimentum adducam ex *Charlet. Si Nutrici propinetur Lac, Croci Tinctura leviter imbutum, & intra breve temporis ſpatium, lac è mammis refundet, odorem, ſaporem, imò & colorem Croceum planè referens.* Quanquam non negamus, interdum in Sanguine, imò in ipſis carnibus, qualitates medicamentorum & nutrimentorum perſentiri,

ſed ut hoc fiat, longum tempus requiritur, & Medicamenta ſeu cibi debent abundare multo Sale vol. Oleoſo. Et quomodo Cichorei ſurculus, qui annotante *Martiano* è Papilla *Matrona Rom.* extractus, it. furfures ex pane prævie ingeſto per tot arteriarum tractus tranſire potuerunt, quanquam difficile ſit, ut hæcce vaſa Chylifera transgredi quiverint. Et quorſum natura Chylum cum Sanguine miſceret, ubi ſtatim quaſi laboris & operæ pœnitens, eundem iterum ſepararet, cum tamen idem *Lac in Sanguinem pro Nutritione Infantis*, brevi ſit remigraturum. Et quænam proportio eſt *inter Sanguinem* iſtum, qui per Arterias ad mammas fluit & *Lac*, cum tamen ne decima quidem pars ab iſto Sanguine ſeparetur, & reliquus per venas revehatur. Hæ autem & numeroſiores & majores in *Lactantibus* ſunt, quod non *ſolum Sanguinem* à nutritione reſiduum, verum etiam *partem redundantis Lactei liquoris*, tum *Lactationis*, quam *Ablactationis tempore*; ad Subclavias deferre debuerunt.

XVII.

Ex dictis ſequitur, *quod Chylus ſit vera & immediata* MATERIA LACTIS. Sed quæritur, an mera Tranſcolatione Lactationis opus perficiatur, uti multi putant? Reſp. Notum eſt in diverſis glandularum generibus, diverſum conſiſtentia, ſapore & ſimilibus Qualitatibus elaborari ſuccum, adeoque in quolibet eorum peculiarem adhuc alterationem ſubire *Tranſcolatum*: Ita in mammis pariter idem fieri probabile eſt, cum ratione ſubſtantiæ, coloris, & ſaporis *Lac à Chylo* aliquantulum etiam differat, nam *Chylus* levem ſalſedinem præ ſe fert, *Lacte* verò præprimis *Humano*, vix dulcius quid guſtatur. *Lac* etiam magis albicat, & paulo craſſius eſt. *Diemerbr.* putat connatum hoc eſſe mammis, & conſiſtere in acido condenſante, mammiſque inhærenté. Sed vid. argumenta, quæ contra hæc habet *Excell. Dn. D. Iohannes Bohn*, *P. P. Lipſ. Præceptor & Patronus meus ſempiterna obſervantia colendus*, in Diſp. *de Lactis defectu*. Probabilius autem videtur *ab Utero* per imprægnationem præparato Vim ſeu *Fermentum Lactificum* mammis inſpirari, cujus tamen Eſſentiam explicare difficillimum, ſi non impoſſibile. Ex his itaque patet, cur, licet mox circa medios geſtationis menſes *Lac* in mammis obſervetur, Salſedinem *Chyli* adhuc præ ſe ferat? quia *Fermenti Genitalis* maxima pars ad huc in utero circa perfectionem & Nutritionem fœtus occupata, quo demum excluſo *Lac* perfectam dulcedinem ſortitur.

XVIII. Sed

Sed nunc *Modus Lac generandi* quoque conſiderandus, ubi quidam Suctionem frequentiorem pro vera hujus motus ad mammas cauſa venditant. De Virgine videatur *Salm. Cent. Obſ. 92.* quæ infantem, cujus curam agebat, mammis frequentius exhibitis lactavit, & hoc tam in virginibus, quam Viris à ſola contrectatione & frequentiori ſuctu factum, hiſtoriæ habent; ſed licet hoc in uno vel altero ſubjecto factum ſit, rariſſimum tamen contingens eſt, & in centum Viris l. Virginibus, aut fœminis non lactantibus, licet harum mammæ ſugantur, inde tamen non omnibus, ſed forſan aut nulli, aut uni alteri, *Lac ad mammas* derivaretur. *Diemerb.* hujus cauſam putat eſſe *Fortem Imaginationem, ſeu intentam & crebram de Lacte, mammis, earumque ſuctione cogitationem.* Verum quanquam *imaginatio* multa & mirabilia alias poſſit, & hic quoque Lactandi deſiderium multum pro Lacte adducendo conferat; tamen *Imaginationem* neutiquam *cauſam Primariam* eſſe, inde liquet, quod bruta fœtus ſui, quem in Utero gerunt, nullam habeant rationem nullumque erga hunc amorem. Neque Mulierculæ, harum minus gnaræ, quæ ſe gravidas eſſe ignorant, *imaginationem* de hac re habere poſſunt, cum tamen circa medium geſtationis tempus *Mammæ Lacte* intumeſcant, & quid de Meretricibus? quæ potius de perdendo & expellendo fœtu cogitant. Et matrum ſæpe, quæ ſufficienti *Lactis* quantitate ad nutriendum Prolem non gaudent, per intentam de *Lactatione commoda cogitationem* fontes plane exſiccantur, & hiſtoria, quam de propria Uxore adducit, theſin ſuam reddit ambiguam, dum poſt longum tempus illa voti ſui compos facta, poſtquam per aliquot menſes fruſtraneo deſiderio flagraverat, hoc eſt, per hoc nihil *Lactis* producere poterat. Probabilius igitur eſt à *Contagio Genituræ Virilis* ita affici, non tantum *Uterum*, ſed etiam *Mammas*, ut *Lactis Officinæ* fiant, & apte ſint ad *Lactis* materiam recipiendam. Quod etiam intendere videtur *Hipp. de Nat. Pueri text. 21.* dum dicit. *Quod edulcoratum, à caliditate, quæ ab Uteris acceſſit, expreſſum venit ad Mammas.* Præterea ea, quæ *Uteri activitatem* infringunt, etiam *Lac* deſtruunt; quod fit partim temporis diuturnitate, unde Nutricum *Lac* vix ultra biennium durat, quia *fermentum iſtud*, ſeu *Spiritus Genitalis* ſucceſſive abſumitur, & perit partim etiam fit per medicamenta *Lac* imminuentia dicta ab Autoribus, quorum virtus operandi in eo conſi-

ſtere videtur, quod Spiritum illum Genitalem enervando, [illegible] ſcaturiginem obturent.

XIX.

Hiſce poſitis definimus *Lac, quod ſit Liquor albus & dulcis, è Chylo immediate confectum, beneficio Glandularum Mammariarum, in Infantis Nutritionem.*

XX.

Quibus perpenſis breviter etiam videbimus, *quot modis Lactis Generatio & Lactatio impediatur.* Et fit tribus fere modis. *Vel quando Lac deficit : Vel abundat : Vel Depravatur :* Deficit autem, vel *ratione Materiae ex Qua, vel ratione Mammarum ſeu Glandularum aut Tubulorum Lacteorum. Ratione Materiae*, quando in Ventr. paucus vel nullus Chylus elaboratur, cor ſubducit eum pro magis neceſſario corporis alimento praeparando, quod fieri poteſt à Chylificationis cauſis variè laeſis, ut in febricitantibus, l. nimium ſudantibus, vel qu. in acriori ſanguinis fermentatione *Lactis* materia abſumitur, item in iis, quae ſolent uberius per lochia purgari, in Puerperis ob cibi faſtidium; Vel etiam in nimia fame, ut in obſeſſis urbibus, vel etiam alias tempore famis; Licet *Hogeland. in ſua Oeconom. Corp. An.* putet etiam famis tempore *Lac* generari, quem tamen experientia omninò deſtituit, ſed ſi *Lac* foeminae tunc generent ab aſſumptis cibis hoc provenit, licet fuerit caro equina, canina, felina, mures &c. ſi verò plane nihil aſſumunt, ex earum papillis infantes, ſi violentius ſugant, loco *Lactis, Sanguinem* provocabunt, uſque dum poſt alimentorum aſſumptionem chylique novi productionem Mammae de[illegible]orentur. Hujus rei veritatem oſtendit *Diemerbr. l. all. p.* [illegible]. in foemina, quae infantem Lactans, quoniam ob gravem & periculoſum Mariti morbum valde contriſtabatur, ita ut per aliquot dies vix aliquod effatu dignum comederet, non tantum nullum in mammis *Lac* habuerit, ſed ad fortiorem quoque infantis ſuctionem merus *Sanguis* ipſi extractus fuerit: donec cum mariti morbo triſtitia [illegible]creſcente cibos euchymos iterum aſſumpſerit, ac Chylus copioſius confectus, *Lactis* ſufficientem quantitatem exhibuerit. Quanquam & hic *Triſtitia* multum fecit, de qua in ſequ.

XXI.

Mammarum ſeu Glandularum aut Tubulorum vitio Lactificatio impeditur, quando poruli glandularum & tubuli lactiferi ſunt nimis anguſti,

[illegible], ut materia *Lactis* eos pertranſire non poſſit. Hæc autem anguſtia interdum Mulierculis quibuſdam eſt congenita & naturalis, de quibus *Hippocr. l. 1. de N. M. Mulieres*, inquit, *quæ natura ſolidiores ſunt & denſam carnem habent, ad Lactationem minus apta ſunt.* E contra *de Nat. Pueri* ait. *Rara carnis Mulieres citius pinguioris illius ſucci perſultationem ad mammas percipiunt.* Interdum verò ætas ſenilis glandulas exareſcere facit & Tubulos ſubſidere. Aliquando glandulæ hæ & tubuli comprimuntur ab omnis generis tumoribus ſeu ſint à *Lacte coagulato*, ſeu *ab alia* quacunque *materia*, inflammationes, Cancrum, ſcyrrhumque producentes, adeò, ut glandulæ ipſæ aliquando ſaxeam duritiem aſſumpſerint, qualia exempla habent *Heurn. l. 1. Meth. ad Pr. p. 29. Salm. C. 2. Obſerv. 8.* it *Aurel. Sever. de* Noviſſ. *Obſerv. Abſceſſ p. 42.* Poſſet enim *fermentum Lactificum*, quod Mammis per imprægnationem inſpirari debet, deeſſe, vel eſſe inefficax aut corruptum, ut Mammarum glandulæ & tubuli per hoc non ſatis expanderentur ad recipiendam materiam *Lactis*. Uti & *Animi Pathemata* quæ motum Spirituum minuunt, & influxu horum inhibito tubuli concidunt, ut materia *Lactis* non tam liberè influere poſſit. *Vulnera & ulcera Mammarum hujus quoque ſæpe ſunt cauſæ*, dum tollunt continuitatem tubulorum lactiferorum, item cicatrices ex horum conſolidatione ortæ. *Frigore nimio* etiam mammæ harumque tubuli & glandulæ contrahuntur; Vel quando Mulierculæ plus formæ, quam ſanitati ſtudent, & dum ſunt prægnantes, earumque Mammæ augentur, arctiore thoracis conſtrictione corporis gracilitatem inducere cupiunt, quo tubulorum & glandularum ampliatio inhibetur; Ne quid dicam de intempeſtivo adſtringentium externorum uſu pro mammarum mole arcenda, e. g. Alumine &c. de quo vid. *Sylv. l. 3. c. 10. S. 58. & 59.* Et *Lactatione neglecta*, tubuli hi quoque obliterantur, ut *Lac* amplius per eos non affluat, ſeu hujus cauſa ſit non ſufficiens infantis ſuctio, ſeu vitium ſit in papillis, quando hæ nimis carni intruſæ, ſeu quando rimæ ſeu fiſſuræ in iis ſunt, quæ tantos ſæpe cruciatus mulierculis afferunt, quantos & ipſe partus, qui dolores infantis ſuctu exaſperantur.

XXII.

Nunc ad *Nimiam Lactis Abundantiam*, cujus cauſæ facile ex præcedentibus cognoſci poſſunt, oritur nempe ab uberioribus alimentis aſſumptis, laudabilique Ventr. digeſtione, mammarum tubulorumque laxitate & mollitie glandularum copioſarum & melioris

conſi-

conſiſtentiæ, &c. reliqua quoniam ex præcedentibus §. à nobis facile deſumuntur, nos tum brevitati ſtudemus, iis ſuperſedebimus, expeditis enim cauſis *Lactis defectum* progignere ſufficientibus, illæ ſimul, quæ *abundantiam* ejus pariunt, explicatæ videntur.

XXIII.

Tertius modus quo *Lactificatio* impeditur, eſt *Lactis Depravatio.* Quæ fit variis modis, vel quando *Lac* eſt nimis tenue & aquoſum, l. quando nimis craſſum, pingue & viſcidum, l. acre, ſalſum aut acidum. Hujus cauſa immediata eſt ſæpè *Chyli Maſſa* ſimilium qualitatum particeps. Interdum verò *Mammarum glandulæ*, quando materia ſeroſa vel non, vel nimis per glandulas ſeparatur. Quò non referendum eſt *Lac* illud, quod brevi à partu ad Mammas fertur; licet ſit valde aquoſum, ſed hoc maximè infanti præbendum, quia eſt alimentum medicamentoſum. Convenientiſſimum autem alias *Lac* eſt infantibus, quod non nimis ſeroſum, nec nimis oleoſum, ſi enim nimis ſeroſum, tormina ventris, purgationes, diſpoſitiones hydropicas, & cachecticas facit. Si verò nimis pingue, Ventric. enervat (omnia enim pinguia deſtruunt Ventr. fermentum) hinc ſequitur Vomitus & Anorexia. *Lac Salſum* obſtructiones, inflammationes, & tumores efficit. Interdum etiam ab ulcere materia acris & mordax Lacti miſcetur. Imprimis autem vitiatur *Lac*, quando coagulatur in mammis & in grumos abit. Hoc verò ſæpe fit propter *animi Pathemata*, ut ſunt *Terror*, *Ira* & *Triſtitia* &c. Sæpè etiam à Ventriculi fermento nimis acido, vel ab aſſumptis acidis, auſteris, ut ſunt Acetum & ejusmodi, ſæpiſſime autem fit ab externis acidis, auſteris impoſitis, à frigore admiſſo imprimis in ſudantibus, à nimis arcta mammarum conſtrictione, lactationeque intermiſſa, quando enim *Lac* diutius in Mammis coërcetur, acorem contrahit & ſe ipſum coagulat, quia occultum acidum gerit in ſe ipſo, quod etiam ipſas glandulas mammarum inficit, quando ibi diu hæret. *Signum* autem *Lactis coagulati in Mammis eſt*, quando percipitur tumor durus in quodam loco renitens, qui nunc ſimplex, nunc duplex &c. eſt. Ordinarie verò in Puerperio, quando tertio vel quarto die *Lac* defertur ad mammas, duriſſimæ apparent, ſed tunc ſunt æqualiter duræ. Tumores verò hi in principio ſunt ſine dolore, ſucceſſivè autem dolorosi evadunt, & niſi his in tempore præſpicimus, oriuntur inde Inflammationes, Exulcerationes, Scyrrhi, imò ipſe interdum Cancer.

XXIV. Licet

XXIV.

Licet etiam in plerisque Gravidis & Lactantibus ſupprimantur Menſes; tamen Plethoricæ reperiuntur, quibus primo geſtationis tempore menſes fluunt, & etiam ſub Lactatione, unde *Lac* quoque alteratur, & obſervatur, quod eo tempore fœtus ſeu infans minus commode ſe habeat, languiduſque ſit toto Menſtruationis tempore, quo ceſſante ceſſat etiam dictus languor. Magis adhuc alteratur & vitiatur *Lac Nutricis*, quando per fœcundum coitum imprægnatur, & tale *Lac* quando infanti præbetur in ſtomacho grumeſcit, & ſit admodum hoſtile & moleſtum infanti, ut ex hoc fonte recte derivetur *Caſei averſatio*, quia Ventric. læſus per totam vitam abhorret *Lactis coagulum*. vid. *Rod. à Caſtr. de N. M. l. 3. c. xi. Schoock. de Averſ. Caſei S.* 14. *p.* 44. It. *Dygb. de Nat. Corp. c.* 38. *p.* 331.

XXV.

Nunc *Curationem* etiam brevibus abſolvemus. *Defectus Lactis* ſi eſt *à defectu Chyli*, cibis Eupeptis & multum Chylum ſuppeditantibus reſtaurandus; ut ſunt juſcula, carnes animalium juniorum, Vitelli ovorum, Lac &c. it. Cereviſiis bene nutrientibus, nec lupulo nimis conditis. Poſſemus etiam hic commendare, Decoctum Lactis cum floribus Sambuci exſiccatis, quod *Langius in Miſcell. p.* 46. maximi facit; *Amat. Luſitan.* commendat Decoct. Rad. vel Summitatum Fœnic. & hujus Sem. ut & Aniſi laudatur, ex quib. vel cum cereviſia vel Lacte fiat Dec. it. cum Leviſtici Semine, quib. addi poſſunt Paſſulæ minores. Si vero appetitus proſtratus, à Medico prudenti pro cauſarum varietate reſtitui debet. Quando vero hujus defectus cauſa eſt *febris ſeu fermentatio acrior Sanguinis*, quæ *Lactis Materiam* abſumit, poſſent prodeſſe, quæ temperant fermentum iſtud acrius Sanguinis & quodammodo dulcificant, ut ſunt Chryſt. Mont. quam valde prædicant ac ſi vi ſpecifica hic aliquid poſſet. Lac Lunæ, Antim. Diaph. C. C. uſt. Bez. Min. & ejusmodi e. g.

℞. Chryſt. Mont. ppt. ℥j,
Lact. Lunæ ʒ ß.
Antim. Diaph.
Elæol. Fœnic. ana ℈j. M. F. P. pro 3. l. 4. doſ.

Cap. bis in die in jure Gallin. vel decocto fœnic.

Mynſichtus in Arment. p. m. 113. hic nobis commendat tanquam Secretum, Species ſuas Diachryſtalli, & putat ex hoc medicamento omnem cibum aſſumptum ferè in *Lac* abire; ſed eſt inconcinna compoſitio, & multa omitti poſſent. Præſtant ejus Rotulæ quas vocat *Lac* Provocantes, deſcriptas *p.* 160. Quidam etiam extollunt Pulv. Lumbr. Terreſtr. ad ℈j. cum Aq. Hord. vel cum Aq. propria it. Semen Nigellæ.

XXVI.

Si Mamma, harum Tubuli & glandula ſunt in cauſa, proſunt tunc potius Externa, partim *Emollientia* partim *Irritantia*, ut ſunt flores Samb. ex ſupra laudato decocto, it. ex flor. Chamomill. *Hofm. in Clav. p.* 564. laudat decoctum Vincæ per Vincæ, it. Decoctum Menthæ in aqua S. crebrius mammis applicatum, quibus ſi opus eſt pro ſtimulatione parum Sal. Gem. vel Nitri addi poſſet, ſed externa hæc, quamprimum frigefacta, ſunt removenda. Quo facto Mammæ moderate pannis calidis fricentur, ut probe incaleſcant, & ita mediante Spir. uberiori affluxu vaſa aperiantur & expandantur.

XXVII.

Si verò *Lactis nimia Abundantia peccet*, *Diata* ſit tenuis & modica ſeu *parca*, ne à copioſiore ciborum ingeſtione copioſus Chylus elaboretur, & partim Internis, partim Externis medicamentis huic malo ſubveniendum. *Interne* hic conveniunt, quæ alias *Semen Exſtinguentia* dicuntur, ut Nitrum, & omnia ex eo præparata, Sacharum Saturni, Myrrha, de Mentha res adhuc dubia eſt, Ruta, Coriandrum, Crocus, *Amare* ut Abſynth. Cent. Min. &c. quidam etiam Camphoram hic referunt, quia Gonorrheæ & Pollutionis Nocturnæ optimum remedium, item Furoris Uterini de quo vid, *Horſt. Ep. ad Barth.* præterea ſecundum *Borell. C.* 2. *Obſ.* 91. abortum promovet, uteri vigorem turbando. Ex prædictis poſſet præſcribi ſeq. formula

℞. Sal Nitr. I. Lap. Prun. ℨj.
Myrrh.
Sach. Saturn. an. ℈ß.
Camph.
Croc. or. an. gr. iv. M. F. Pulv. pro 3. vel 4. doſ.

Poſſet etiam Laud. Op. gr. j. vel alterum addi.

Externis hic conveniunt leniter *adſtringentia*, *&* *reſolventia* ut Decoctum Cumini vel Coriandr. in Aceto, vel in Aceti & Vini ana ne nimis adſtringat, vel Cumini Pulvis in forma Cataplaſmatis cum Aceto: it. Cicuta & Mentha contuſa & calide impoſita, vel ex his paratum decoctum cum ▽ ferrariorum. Parum Alum. quoque his poſſet addi, vel melius Sal Nit. quæ ſimul Lactis coagulationem prohibent, nam cum adſtringentibus caute mercandum.

XXVIII.

Lactis Depravatio reſtat nunc quomodo *corrigenda*. Lac ▽ſum nimis, per *Aromatica* &, leniter *Sudorifera*, ut ſunt Theriacalia &c. curatur. In Diæta quoque cibi paulo ſolidiores aſſimi debent. Lac ſi eſt Salſum corrigitur per *Emollientia & acredinem corrigentia*, ut ſunt decoctum hordei, vel decoctum Chinæ, Altheæ, Saſſaparill. vel ex paſſulis minoribus, it. per Acidiuſc. Aciditas a. corrigitur per Salia vol. vel Urin. & ſupra laudata *abſorbentia*, quæ ambo *Lactis* Coagulationem impediunt, coagulatumque reſolvunt, licet *Animi Pathem.* ſeu *Frigus Externum* ſint hujus cauſæ. Et loco plurium poſſet eſſe ſeq. form.

℞. ▽. Fœnic. ℥ij.
Aniſi. ℥j.
Theriac. ſimpl. ʒß.
Chryſt. mont. ppt.
Antim Diaph. ana ʒß.
Spirit. Sal Armon. ℈j.
Ol. [illegible]. Mac. gt. iij. l. iv.
Syr. Fœn. ʒß. M. F. Mixt. Cochleat. ſum.

Vel in forma Pulver. ℞. Antim. Diaph. ʒß.
C. C. uſt. ℈j.
Sal. vol. C. C. ℈ß.
Elæoſ. Saſſafr. gt. viij. l. x. M. F. Pulv. p. 3. doſ.
Exſpectando Sudorem. Vel ſolus Sp. Sal Ammon. ad gt. xv. l. ℈j. poſſet prodeſſe, vel Sal vol. Oleoſ. Sylvii.

Quamprimum verò *Coagulatio Lactis* in Mammis percipitur, *Lac* quod in Mammis eſt debet emulgeri, & poſt Medicamentorum præſcriptorum internorum ſudoriferorum uſum, externa *Reſolvent.* & *diſcutientia* quoque adhibenda. Vulgò Petroſelino in for-

in forma Cataplaſmatis adhibitus, quod etiam commendat [illegible] *Paul. in Q. Bot.* ſed longe præſtat *Chærefolium*, quod potentiſſime reſolvit Lac *Coagulatum* & *Inflammationi* reſiſtit.

Vel ℞. Empl. de Galb. Croc. Mynſ.
Diach. comp. ana ℥j ß. Miſce.

Inducatur ſupra Linteum, in medio tranſcindendo foramen pro Papilla, & calide applicetur. Huic Empl. ut melius reſolvat parum Mercur. dulc. poſſet addi. Si Inflammatio jam adeſt, nocent Oleoſa & pinguia, quia per hæc pori obſtruuntur, & tranſpiratione inhibita ad Suppurationem & Abſceſſum fit tranſitus. Poſſet ergò ſupra dicto Chærefolio parum Nitri addi.

Vel ℞. Empl. de Sperm. Ran. cum Camph. ℥jß.
Alb. Coct. ℥ß.
Sperm. Cet. rec. ʒj. M. F. l. a. Empl.

Mynſichtus & *Timæus* Laudant Empl. de Spermate Ceti, ſed magis præſervat Coagulationem, quam quod jam Coagulatum Lac reſolvat, ſi v. ei adderetur Gum. Amm. in aceto ſolutum, vel Diachyl. ſimpl. l. Compoſ. vires ejus intenderentur. Diachyl. ſimpl. *Williſ. de Febb.* etiam commendat. Vel ſeq. Epithem. hic locum habere poſſet

℞. Aq. Calc. viv. Ruland. ℥vj.
Spir. Vin. Camph. ℥j.
Sach. Saturn. ʒj. M. F. Epith. ſæpius calide imponendum, & ſtatim ac frigefactum removendum.

XXIX.

Quod ſi verò ad *Suppurationem* tendat *Tumor*, quod patet ex dolore intenſo, eoque Pulſatorio, ſymptomatis manentibus; ruptura *Emollientibus* promovenda & hinc lege artis Ulcus conſolidandum. *Interne* præter jam dicta Volat. poſſunt propinari Ocul. Canc. Sal Card. Bened. Myrrh. &c. *Externe* pro maturando abſceſſu optimum eſt, ut mamma tumida bis vel ter quotidie illinatur Spir. Sal Ammon. cum Calce viva & Spirit. Vini parato, cui parum Croci addi poteſt. Huic ſuper imponatur ſupra præſcriptum Emplaſt. de Galbano Croc. & Diachyl. compoſ. vel Cataplaſma ſequ.

℞. Rad.

℞. Rad. Lil. alb. ℥iij.
Alth. ℥j.
Cœp. ſub ciner. coct. ℥ij.
Sem. Lin.
Fœn. Græc. ana ℥ß.
Pulv. Lupin. ʒvj.
Vitell. Ovor. num. iij.
Caric. pingu. par. IV.
Axung. Porcin non ſalit. ℥j.
Ol. Roſar. ℥ß.
Cum ſuffic. quant. Lactis F. l. a. Cataplaſma

Sic ſucceſſive abſceſſus ſuppurabit, & tuberculum levius aſſurget; quod digito tangendum, an omnia ſub eo ſint molliora, tum cultello aperiendum. Ulcus benè mundificetur, & conſolidetur, & pro hoc inſtar omnium poteſt eſſe Oleum Momord. vel ſolum, vel cum Balſ. Sulphur. Aniſ. mixtum, vel ſi hoc nimis acre eſſet, parum Vitelli ovi ei miſceatur, vulneri verò ſuper imponetur diach. ſimplex.

XXIX.

Pro *Papillarum fiſſuris* ſufficit vel Ol. Ceræ ſolum, vel cum Ol. Ovor. mixtum & penna calide fiſſuris inditum. Vel loco plurium ſit Sperm. Cet. rec. in Ol. Lil. Alb. vel Ol. Momord. ſolutum, addi poteſt parum Croci vel Sachari. Papilla poteſt muniri pileolo ligneo, plumbeo, vel Argenteo, qui interne Empl. Stictic. Croll. quod prælaudato Ol. Momord. malaxatum, illitus; Ante ſuctionem verò Papilla ᵹ Roſ. in qua parum Sachari ſolutum, abluenda, ne Infanti id ingratum ſit, & nauſea efficiatur. Atque hæc *de Lacte & ejus Vitiis* pro virium tenuitate & temporis brevitate dicta ſunto.

F I N I S.

HONORI

Nobiliſſimi, Experientiſſimi atque Doctiſſimi

DOMINI GOEBELII,

Amici atque Conterranei ſui honoratiſſimi,

Cum in Medicinâ ſupremum honorem & privilegia Doctoralia conſequeretur.

LActea dant dulcem ſitienti
pocula potum,
Quin non ingratum lactea
dantque cibum.
Sermo tuus Lacti ſimilis de *dogmate Lactis*;
Sumitur hinc potus, carpitur atque cibus.

Paucula hæc gratulabundus apponebat

B. G. MARTENS.
Meklenburgenſis.

D E

DE LACTE
qui diſputas
GOEBELI

Miranda naturæ monſtras,
& delicatiſſimas humanæ ſuſtentationis epulas
Ambroſinumque Nectar
de penuario & fonte perenni promis.
Earum cauſas effectusque dum doctâ felicitate doces
Non videris mihi ignobiliori *Lacte* enutritus,
Sed
Ex pretioſis maternæ *Lactis* receptaculis
Mammas quas vocant
Spirituoſioris ſucci copiam hauſiſſe,
quæ
Cum ſcientiarum cupiditatem prope naturalem effeciſſet
fieri non potuit, quin
Ingenii maturitas arte & induſtria accedente
quovis *Lacte* dulciores produceret
Eruditionis Fructus.
Hinc tibi dum gratulatur literatus Orbis
nec mea reticere volui
Bonæ felicitatis Auguria.
Lactis copiam dum nominant ſacræ paginæ
omnis generis affluentiam notant.
Dulcedine *Lactis* quid infantibus nobis adhibetur ſalubrius?
quid ad deſideria implenda vivacius?
Lactis nives ſimplicis amicitiæ ſpecimen præbent
ad cujus candorem nihil accedit propius.
Vale Amice
& bonis, quæ de *Lacte* poſui,
utere auguriis.

Ita ex ſincero affectu honoratiſſimo
Dn. Conterraneo precatur,

D. DE DAHLEN, Lubecenſis.

Lac niveum, potu dulce eſt, teneráque medulla
Blanditus, & leni guttura flore rigans.
Cunctarum hoc rerum, hoc hominum primordia nutrit
Prima; per hoc veræ ſtat pietatis opus.
Quod genuit, ſic mater alit, ſic monſtrat amorem,
Infirmumque aliis ſic parat ante cibis.
Lac fuit, addictum quo ſqualloríque famique
Servaviſſe Senem credita Nata Patrem.
Tam Sanctæ natura rei ac venerabilis uſus
Laxat ad ingenii dum documenta viam
Doctrinæque tuæ; mirer ſtupeamne, *Gobeli?*
Hanc tibi materiam quis Deus, oro, dedit?
Mentis utrum vitæque ſub hoc ænigmate puræ
Moris & ut nivei ſupprimerentur opes?
An vis ingenii, quod perſpicit omnia, quæque
Nubila ſunt aliis, Lactis ad inſtar habet?
Sed bene. Dum dubitans cunctor ſuccurrit utrumque.
Quæ tua ſunt, conſtant omnia Lacte mero.
Hinc ſibi gratatur civem Lubeca decorum,
Lugdunum inde tuis laudibus alma favet.
Hinc ubi per medicas famam quæſiveris artes,
Circulus applaudet Lacteus ipſe tibi.

Viro Doctiſſimo Dn. Gôbelio *Amico Honoratiſſimo, Amorem & Officia ſua teſtabatur.*

J. L. PINCIER.